

QUÆSTIO SECUNDA.

An Angelis sint ex natura sua incorruptibiles, & immortales.

70 U T sensus controversiæ innotescat, quæ maxime inter Recentiores viget, certaque ab incertis lecerantur; certum est primò, quod si immortale dicitur, quod nunquam desinet, Angelos in hoc sensu esse immortales, sicut etiam & animas nostras; nam de fide est Angelos perpetuò esse duraturos malos in pœna, & bonos in gloria; certum est secundo, quod si incorruptibile sumatur, ut excludit tantum propriam physicam corruptionem, quæ nimirum fit per abolitionem formæ in materia, Angelos pariter esse incorruptibiles ex natura sua, non tantum in ordine ad causas creatas, sed etiam ad Deum ipsum; cum enim non consentent ex materia, & forma, ut est communis opinio, prorsus impossibile est hoc modo desinere, & esse talis physice corruptionis capaces. Tertio quodque certum est, quod si corruptibile sumatur pro eo, quod desinere potest actione creatura, sicut etiam Angelos esse incorruptibiles, & immortales, quia causa creatæ non operantur, nisi producendo formam in materia, & ab ea oppositam expellendo. Quartò, si non posse desinere referatur non tantum ad causas creatas, sed etiam ad Dei potentiam; certum est Angelos in hoc sensu non esse incorruptibiles, & immortales, quia omnis res creata à Deo in conservari dependet, & potest à Deo in nihilum redigi per subtractionem influxus conservativi, & in hoc sensu solus Deus dicitur immortalis ex natura sua, Angelos autem, & animas habent per gratiam esse immortales, quatenus non annihilari habent ex gratuita voluntate Dei. Cum ergo fateantur omnes esse Angelos à Deo annihilabiles, disputant an dici debeat ab extrinseco tantum posse desinere esse, an etiam ab intrinseco, de quo duæ sunt sententiæ.

Prima affirmat eos non posse desinere per intrinsecam potentiam realem, quam habeant ad desinendum, sed per solam extrinsecam Dei potentiam, ita ut desinibilitas in eis sit pura extrinseca denominatio sumpta ex Dei potentia illos in nihilum redigere valente; atque idem in hoc sensu etiam respectu Dei dici posse ex natura sua incorruptibiles, & immortales, quapropter si eos destruat, hoc erit omnino miraculolum, & præter, aut contra naturam eorum; ita patet loquitur Thomistæ, quos citant, & sequuntur Suarez lib. 1. de Angelis cap. 9. Amicus disp. 3. sect. 5. Arriag. disp. 2. sect. 4. Lezana tract. 6. disp. 1. quæst. 5. quæ dicitur esse D. Thomæ p. 1. q. 99. art. 2. & quæst. 50. art. 5. ubi Nazarius, Ripa, Serra, Jo. A. S. Thoma, Navaret, Mechia, Salmaticenses, & alii eisdem Scholæ. Alia sententiæ negat Angelos esse ab intrinseco inanimabiles, & contendit esse respectu Dei ab intrinseco annihilabiles per realem potentiam annihilabilitatis in ipsis existentem, ita Valquez part. 2. disp. 182. cap. 2. pro qua citat Alensem part. 1. quæst. 4. mem. 3. D. Bonav. 1. disp. 8. part. 1. art. 2. quæst. 2. Secum quæst. 5. ad quæstionem, & disp. 49. quæst. 6. §. Sic sunt duo, & alios antiquiores, & mordicus sequitur Vulpes disp. 8. art. 1. o. ubi nu. 3. contendit Angelos esse ex se simpliciter annihilabiles tam obiectivè ex extrinseca Dei potentia, quam formaliter ex intrinseca potentia passiva suæ essentia finitæ & num. 4. ait esse erroneum Angelos esse natura sua indefectibiles, sic etiam loquitur Brancasius disp. 1. de Angelis q. 7. & 8. & alii Scotistæ, licet Faber in 2. disp. 9. cap. 2. cum aliis quibusdam primariis sequatur opinionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio.

71 HÆc controversiæ non immeritò à multis censetur esse de nomine, nam re benè examinata invenimus utramque opinionem aliquid veri continere, & non nisi in modo loquendi differre, ut patet discurrendo per singulas; & Primò quidem, quod prima opinio verum dicat, dum asserit Angelos esse suprà natura immortales, & ab intrinseco indefectibiles, ita ut desinere non possint per intrinsecam potentiam realem, quæ illis positæ ad desinendum inclinet ex eo probatur, quod inter entia creata quedam sunt talis conditionis, ut cum solo concursu generali Dei non sunt in perpetuum duratura, ut homo v. g. semel productus sine speciali miraculo in æternum perpetuari non potest; quedam verò sunt talis conditioni, ut semel

producta possint deinceps cum solo concursu generali Dei in æternum durare; cuius ordinis ponitur communiter à Theologis Angelus, & anima rationalis; nam licet simpliciter, & absolute loquendo possint Angelus à Deo annihilari, quia à Deo libere conservatur, & de se quatenus creatura indifferens est ad esse, & non esse; talis tamen est conditionis, ut continuante Deo exhibitionem solius concursus generalis ipse in æternum durat; hoc autem discernit substantiarum immaterialium à materialibus aliunde provenire non potest, nisi quia in rebus materialibus datur potentia materiæ ad receptionem variorum formarum, ex qua sequitur corruptio formæ præsentis, ac proinde eas positivè inclinat ad corruptionem; in immaterialibus verò non datur talis potentia physica inclinans ad eorum corruptionem, & hac ratione dicuntur ab intrinseco incorruptibiles, & indefectibiles.

Respondet Brancasius loc. cit. hoc probare solum Angelos esse quidem ab intrinseco incorruptibiles sumpta corruptione propriè dicta, quatenus est effectus, & passio materiæ; non autem esse inanimabiles, prout annihilatio desinutionem absolute indicat totius esse; itaque inique emi defectibilibus correspondere debet potentia realis sine defectibilitatis conformiter; & proportionaliter ad substantiam defectibile; ut defectibili materiali correspondeat potentia materialis, defectibili immateriali correspondeat potentia immaterialis; quod si queratur, quænam sit hæc potentia realis, & positiva in Angelo illum inclinans ad desinendum, ait quæst. 8. num. 11, quod cum omnis creatura sit ens contingens, creatum; & dependens à suo creatore, hinc est, ut in omni creatura reperitur potentiam realem ad annihilari; dependet Angelus à Deo in esse, fieri, & conservari, non est ens necessarium, sed contingens; non est ens increatum, sed creatum, finitum, & limitatum; potentia ergo realis ad desinendum in Angelis est contingentiæ, & dependentiæ, & hæc sunt realiter in Angelo, & realiter idem cum Angelo; & hinc etiam concludi Vulpes Angelum esse ab intrinseco positivè defectibilem ea ratione, quia ens finitum, & limitatum.

Sed Contrà, quia aliud est dicere Angelos habere non repugnantiam sibi intrinsecam, ut divinitus destrui possint; aliud est eos naturaliter posse à Deo destrui, quasi annihilatio sit eis conaturalis suo modo, sicut cæteris entibus, primum quidem omnino verum esse, quia omnis creatura ea ratione, quæ finita, & limitata est, est indifferens ad esse, & non esse; unde finitas, limitatio, & contingentiæ hanc tantum indifferentiæ, ac intrinsecam non repugnantiam, ut divinitus destruat, ponit in natura Angelica; non autem aliquam potentiam positivam; quæ illam ad desinendum naturaliter inclinet; alioquin ejus annihilatio à Deo facta miraculosa non esset, & supernaturalis, ut communiter conleat, si ergo annihilatio est Angelis præter naturalis, è contrario perpetua duratio est conaturalis erit, & postquam est semel productus perit conaturaliter semper conservari ex natura sua, ita ut non nisi miraculose destrui possit etiam ab ipso Deo; Respondet Brancasius nullam violentiam inferri creaturæ à Deo, quicquid de ipsa faciat, quia omnis creatura est in perfecta potentia obedientiali ad Creatorem, quæ tollit omnem violentiam, unde si grave à Deo feratur sursum, nulla violentia ei imprimitur, quæ tamen sibi imprimeretur, si ab agente traheretur naturali. Hæc tamen responso non satisfacit, quia Doctor in 3. disp. 27. F. concedit, quod si aqua per potentiam obedientialem sursum ascenderet, adhuc talis ascensus foret ei violentus, ac præterea dixi disp. 6. Phyl. quæst. 1. art. 1. num. 14. & disp. 12. nu. 15. potentiam obedientialem in rebus non sufficere ad tollendam simpliciter violentiam, quando à Deo moventur contra proprias, ac innatas inclinationes; tum quia argumentum non urget annihilationem fore Angelo violentam, sed saltem præternaturalem, & miraculolum, quod negari non potest, & sufficit ad inferendum, quod perpetua duratio sit ei conaturalis, etiam si Deus violentiam non inferat Angelo per annihilationem, ut gratis concedit Io. à S. Thoma loc. cit.

Respondet Poncius disp. 9. num. 5. Angelum in hoc sensu exigere, ut perpetuò conleat, quod habet naturam, quæ est incapax recipiendi aliquam dispositionem extrinsecam, aut intrinsecam à creaturis ullis, ob quam Deus deberet conaturaliter desinere cum ulterius conservare; sed ultra huiusmodi existentiam non apparet, quam aliam habere possit, ob quam Deus non possit naturaliter, & sine ullo miraculo propriè dicto, seu operatione supernaturali tam benè eos destruire, quam possit sine miraculo eos

eos producere; & per hoc explicat auctoritatem Concilii Lateranensis approbantis definitionem Leonis X. qui animam natura sua immortalem esse docet, & idem est de Angelis; intantum enim dicit immortalitatem esse eis naturalem, quatenus ex natura sua non perit mortalitatem, nec ex natura sua possint a creaturis unquam recipere aliquam dispositionem, ob quam Deus moveretur ad eos non conservandos; quam etiam explicationem adhibet Brancasius dicens Concilium negare Angelo, & animæ corruptivam, & destructivam potentiam in ordine ad agens naturale, & creatum, quia nulla creatura talem vim habet, quæ est doctrina Valquez disp. cit. cap. 4. & 5. Sed Contrà, quod Angelus, vel anima non valeant à creaturis destrui nec principaliter, nec dispositivè, non sufficit, ut adhuc à Deo naturaliter destrui possint, hoc est conformiter ad eorum naturam; cum ergo Concilium animam, & Angelos natura sua immortales esse doceat, planè plus voluit, quam quod a creaturis destrui non possint; probatur assumptum à simili, quia cum dicitur v. g. hominem natura sua petere potentiam visum, auditum, & non verò natura sua petere gratiam, visionem beatam, & alia dona supernaturalia, non solum sensus est, quod hæc accipere nequeat ab ullo agente creato, sed quod nec etiam à Deo naturaliter agente, & tanquam ab auctore naturæ; similiter dum dicitur corpus natura sua non esse locale in pluribus locis simul, & semel, non tantum sensus est, quod hæc accipere nequeat ab ullo agente creato, sed quod nec etiam à Deo naturaliter agente, sed solum supernaturaliter agente, ac supra naturam; sic etiam dum dicitur accidens non esse natura sua à subiecto separabile, non tantum sensus est, quod extrà subiectum ab ullo agente creato conservari nequeat, sed quod nec etiam à Deo naturaliter agente, quod & in aliis effectibus supernaturalibus deduci potest; ergo pariter in proposito dum dicitur Angelum, & animam esse natura sua immortales, & indefectibiles, non tantum sensus est, quod ex vi alicuius agentis creati desinere nequeant nec principaliter, nec dispositivè, sed nec etiam actione Dei naturaliter agentis; sed solum supernaturaliter, & præter eorum naturam. Confirmatur, quia immortalitas Angelorum differt ab immortalitate hominum post resurrectionem, quoniam homines quantum est ex natura sua sunt defectibiles, ac mortui obnoxii, atque idem supra naturam eorum erit, quod non morietur; ergo Angelis conaturalis est immortalitas, & iuxta eorum naturam, quod perpetuò durent, ac præter naturam, quod desinant.

Secundo principaliter, Angelum habere existentiam naturalem, ut perpetuò duret, postquam est semel productus, ita ut sit annihilatio omnino supernaturalis, perinde ac si materia poliaretur omni forma, aut accidens conservaretur sine subiecto, si aderi potest ostendendo id non esse contra rationem creaturæ, quoniam non est de ratione creaturæ, ut habeat potentiam naturalem intrinsecam, quæ ipsam positivè inclinet ad desinendum, sed sufficit quod habeat naturalem non repugnantiam, ut a Deo destrui possit, quæ dici potest potentia logica ad desinendum; sed tantum repugnantiam intrinsecam ad desinendum est compossibilis cum existentia intrinseca perpetua durationis; ergo potest Angelus habere existentiam naturalem, ut perpetuò duret, ac simul non repugnantiam, ut a Deo supernaturaliter destrui possit; probatur minor, quia cum existentia unius optimè fiat non repugnantia ad oppositum, ut nullis exemplis ostendi potest, sic enim lapis existentiam habet ubi deorsum, & tamen habet simul non repugnantiam ad recipiendum ubi sursum contra eius existentiam, ac naturalem inclinationem; accidens habet naturalem existentiam, ut conservetur in subiecto, & simul non repugnantiam, ut divinitus destruat etiam extrà subiectum, & sic de aliis; ergo optimè in proposito ista duo coherent in Angelo, habere non repugnantiam, sed capacitatem logicam, ut divinitus destruat, & simul naturalem existentiam, ne id fiat, ideoque si fiat, erit quod propriè, & in rigore supernaturale, nam supernaturalitas alicuius effectus ex eo præterit attenditur, quod aliquid sit supra id, quod existit subiectum, aut quod ei naturaliter debeat; & sicut lapis dici non potest natura sua mobilis sursum etiam respectu Dei, quia licet Deus movere possit lapidem sursum, non potest tamen facere, ut talis motus sit ei naturalis, aut ab intrinseco secundum suam particularem naturam, sed violentus; ita quoque si semel concedatur Angelum esse natura sua indefectibilem, ut loquitur Concilium cit. hoc etiam sine ullo errore asseri po-

terit etiam in ordine ad Deum si legitimè intelligatur; non enim sensus est, quod Deus absolute loquendo illum annihilare nequeat, sed quod talis annihilatio nunquam esse possit secundum naturam Angeli, nec ex interna potentia reali, aut inclinatione eius. Confirmatur à simili, quia quamvis Deus denegare queat igni concursum suum, ne calefaciat, hoc tamen non impedit, quin adhuc natura sua sit combustivus; ergo pariter quamvis possit de potentia absoluta Angelum annihilare, hoc non impedit quin adhuc natura sua sit indefectibilis; probatur paritas, quia sicut igni debuit esse concursus ad calefaciendum, & solum ex libera Dei voluntate ei denegari potest, sic pariter Angelo, eo ipso, quod productus est, debetur perpetua conservatio, & solum per liberam Dei voluntatem potest illi denegari.

Respondet Valquez negando paritatem, quia ignis innata vim habet ad calefaciendum, ita ut si negetur concursus, violentum sit illi non calefacere, Angelus verò non habet innatam vim ad se conservandum cum concursu Dei, quia ex se non magis repugnat illi non esse, quam esse, neque habet inclinationem per modum potentia ad esse; Brancasius etià aliam asserit disparitatem, quia virtus calefactiva necessariò competit igni, & ab intrinseco, at Angelus non est necessariò ens, cum sit ens contingens, & a libera Dei voluntate dependens, & idem Deus privando Angelum suo esse, nihil ei debuit tollerere, quia non debetur ab intrinseco sibi esse, nec conservari in esse, quia est ens contingens; ignis verò licet sit ens contingens, & liberè à Deo creatus, ac conleat, tamen postquam recepit esse, postulat ab intrinseco sue naturæ necessariò virtutem calefactivam.

Sed Contrà quia disparitas à Valquez allata falsum supponit, quod nimirum violentia attendatur in subiecto respectu tantum potentia activæ, non vero passivæ, quod falsum esse ostendimus in Physica, etenim gravi adhuc violentum esset moveri sursum etiam nullam virtutem activam habere se movendi deorsum, ut tenent Thomistæ, ubi solum inclinationem passivam, quam habet ad ubi deorsum, & materiam existere sine forma, etiam ad illam non habeat appetitum potentia activæ. Cum vero dicunt nullam etiam talem inclinationem passivam Angelo convenire, quia necessariò exigat in perpetuum conservari, quia est ens contingens, & de se indifferens ad esse, & non esse, conservari, & non conservari; hæc ratio non convincit ad negandam talem potentiam passivam in Angelo, nam omnis res creata eo ipso, quod est, naturali appetitu inclinatur ad suum esse, & nihilominus est ens contingens, & ex sua essentia indifferens ad esse, & non esse; ergo contingentia non excludit a creatura talem appetitum per modum potentia passivæ inclinantis ad sui conservationem; non ergo hæc non repugnantia, quam quævis res creata, ut Deo obedientialiter subiecta, habet ad non essendum, & per quam constituitur in esse entis contingens, pugnat cum positiva inclinatione, quam ex naturaliter habet ad essendum; nam illam habet, ut Deo subiecta obedientialiter, hanc verò in ordine ad naturalem sui constitutionem, & hæc est positiva inclinatio, illa verò simplex non repugnantia; neque implicat aliquod repugnare creaturæ secundum naturalem eius constitutionem, non repugnare vero eidem, ut obedientialiter Deo subiectæ, nam graviter gr. secundum naturalem sui constitutionem repugnat motus sursum, cui non repugnat, ut obedientialiter Deo subiecta, quod patet in aliis exemplis supra adductis; & sicut quia resistentiæ, seu existentia lapidis non movetur sursum, non est in eo summa, atque idem vici potest ab agente creato, propter quod licet talis motus dicatur ei violentus, non tamen dici potest supernaturalis, è contrà verò, quia existentia accidentis, ut in subiecto conservetur esse summa, atque idem vici nequit ab agente creato, sed à solo Deo supernaturaliter agente, propter quod talis conservatio accidentis extrà subiectum etiam à Deo facta dici debet supernaturalis; ita propositio, quia talis appetitus essendi, seu existentia in conservari est summa tum ob excellentiam sue naturæ, tum ob carentiam materiæ, quæ est potentia contradictonis, atque idem vici nequit ab ullo agente creato, imò nec à Deo naturaliter agente, sed solum supernaturaliter; idem talis desinendo, ac destructio dici debet omnino supernaturalis, & præter eius naturam; & tandem quia licet resistentiæ ad destrui, & existentia Angeli conservari sit summa in sensu de-

su declarato, non tamen ad eam summa est, quin possit à Deo superari saltem supernaturaliter agente, propterea dici adhuc debet ens contingens quantum sufficit ad rationem creaturæ nec eius necessitas in essendo tanta est, ut superet rationem creaturæ, aut creaturæ perfectionem excedat.

76 Tertiò præterea, ut adhuc ulterius constet, in quo prima opinio deficiat, & secunda verum dicat, addo non bene dici à prima opinione defectibilitatem in Angelis esse puram denominationem extrinsecam à sola Dei potentia desumptam illos destruerent valentiam; talis non repugnantia in Angelo ad defendendum per potentiam Dei absolutam verè fundatur in intrinseca Angelum natura, & ei convenit ea ratione, qua ens finitum, & limitatum est; ergo ei convenit ab intrinseco, & hac ratione ab intrinseco quoque dici debet defectibilis, & annihilabilis, imò talis non repugnantia explicari etiam potest in Angelo per formalitatem positivam, sicut explicatur in cæteris rebus, ut nempè dicat meram capaciatem ad aliquid recipiendum cum non inclinatione ad illud, vel potius cum inclinatione ad oppositum, ut enim constat ex dictis *disp. 3. Phys. quest. 2.* capacitas magis patet, quàm passiva inclinatio ad aliquid recipiendum, etiam si tam hæc, quàm illa sit intrinseca, & innata subiecto capaci; etenim lapidi v. g. intrinseca est, ac innata capacitas, ut moveatur deorsum, item ut moveatur sursum, vel etiam circulariter; cum quo ad hoc fiat, ut motus deorsum sit ei naturalis, sursum violentus, & circularis, indifferens; sic pariter aquæ tam est innata, ac intrinseca capacitas, ut habeat frigus, quàm ut habeat calorem; & tamen calor est illi violentus frigus autem naturalis.

Sed quævis secunda opinio concedatur hanc non repugnantiam Angelis ad defensionem esse illi intrinsecam, ac innatam, ac in eius natura fundatam, ac etiam si concederetur importate formalitatem positivam per puram capaciatem explicatam adhuc tamen hinc inferre non licet, Angelum esse à Deo naturaliter destructibilem; sicut ex eo, quod aqua innatam capaciatem habet ad recipiendum calorem, inferre non licet, quod sit naturaliter calefactibilis, seu iuxta eius inclinationem; quia, ut dicebam, capacitas magis patet, quàm naturalis inclinatio, & capacitas est genus ad potentiam naturalem, violentam, & neutram, unde est arguere a superiori ad inferius affirmativè, quæ est fallacia consequentis. Sic pariter inferre non licet, Angelum habere naturalem non repugnantiam, seu innatam capaciatem, ut à Deo destrui queat; ergo natura sua est defectibilis, & mortalis; quia ly *natura sua* non tantùm dicit puram capaciatem, sed capaciatem cum inclinatione ad aliquid tanquam ad perfectionem ex naturali constitutione sibi debitam; talem autem inclinationem non habet ad non esse, cum sit destructivum eius. Confirmatur, quia nulla res simpliciter denominatur talis per solam non repugnantiam, quam habet ad aliquid, præsertim si cum tali non repugnantia supponitur in ea naturalis inclinatio inclinans ad oppositum, unde grave non dicitur simpliciter mobile sursum, etiam si ad talem motum capaciatem habeat, & puram non repugnantiam; sed absolute dicitur mobile deorsum à positiva potentia, quam habet, inclinante ad ubi deorsum: & ratio est, quia denominatio potestis est denominatio à forma naturali positivè inclinante ad terminum, ad quem res dicitur potens; sed in Angelis non est positiva potentia inclinans ad non esse, quia potentia passiva per se, & directè non est ad non esse, sed sola non repugnantia, & mera capacitas ea ratione, qua ens finitum, & limitatum est; contra verò habet innatam potentiam positivè inclinantem ad essendum, & ad sui conservationem, sicut & quælibet alia res creata modo sibi proportionata; ergo simpliciter, & ex natura sua dicitur fuisse immortalis, & indefectibilis, non autem mortales, & defectibiles etiam in ordine ad Deum.

77 Respondet Brancasius non dari in Angelo potentiam passivam ad non esse primò, & per se; attamen secundariò dicit capaciatem ad non esse; quædam primò dicit ordinem ad esse; quia tamen subiectum talis potentie est contingens, idem saltem secundariò dicit ordinem ad posse non esse, nam prius est esse, & super eo, tanquam super ente contingenti fundatur potentia passiva ad posse non esse, vel potentia passiva ad non dicitur ordinem ad non esse directè, dicit tamen ordinem ad posse non esse indirectè. Verùm data hac responsione adhuc habetur intentum, quia cæteris paribus denominatio potestis potius sumi debet à potentia, quæ venit secundariò, per accidens, & indirectè; ergo si talis est potentia rei ad esse, & inclinatio, quam habet Angelus ad sui conservationem, debet potius ab ista dici simpliciter, &

ex natura sua immortalis, & indefectibilis, quàm ab ea mortalis, & defectibilis etiam in ordine ad Deum.

Respondent alii in Angelis, & quævis te creata cum non repugnantia ad non esse nullam supponi nativam potentiam positivè inclinantem ad esse, quia hæc non repugnantia fundatur in ipsa essentia creaturæ, in qua non potest esse potentia positivè inclinans ad esse, quia essentia, ut abstrahit ab existentia, non est aliqua entitas positiva, in qua fundari possit positiva inclinatio ad esse. Verùm irrationabiliter omninò negatur appetitus in rebus per modum potentie ad sui conservationem, cum sit commune prologium Philosophorum, unumquodque ens sui conservationem appetere; & quævis hæc potentia ante rei productionem sit tantum obiectiva, quia tunc supponitur res tantùm in esse possibili cum ordine ad actualem existentiam; tamen postquam res est producta, & determinata ad actualem existentiam, tunc realem capaciatem habet cum naturali inclinatione, & appetitu ad sui conservationem vel temporaneam, vel perpetuam iuxta varias entium conditiones, ac eorum exigentiam in conservari juxta dicta *num. 75.* & idè absolute Angelo semper connaturale est, & posse semper esse, & actu perpetuò durare, quamvis semper habeat non repugnantiam ad carendum tali esse; Neque ad hoc opus est essentiam realiter ab existentia distingui, sed sufficit perseverantiam in esse aliquo modo seceri ab esse, sicut conservatio distinguitur à productione, non quidem physicè, & actualiter, sed virtute, & eminenter, aut formaliter; Imò quod saltem ut in rigore loquendo non repugnantiam rei ad non esse fundari in ipsa essentia creaturæ, ut abstrahit ab existentia, quatenus sic præcisè spectata indifferens est ad esse, & non esse, & sic neutrum illi repugnare, non est in rigore concedendum, quia ut abstrahit ab existentia potius concipitur sub actuali non esse; unde non repugnantia ad non esse potius fundatur in essentia, ut ad existentiam contracta, quia talis non repugnantia est ad amittendum esse, quod habet, debet igitur intelligi esse, ut verè possit dicere non repugnantiam ad illud amittendum, cum nemo dicatur habere potentiam ad amittendum quod non habet, sed quod habet.

Dices, res creata sicut secundum suum esse possibile non habent maiorem inclinationem, aut exigentiam, ut sint, quàm ut non sint, substant enim omnipotentie Dei, ita etiam subsistant in ordine ad conservationem non minus, quàm in prima productione; quamvis ergò Angelus postquam est productus non amplius sit indifferens ad esse, quod habet, habet enim iam determinationem ad illud, tamen erit indifferens ad posse ulterius conservari in tali esse. Respondet maiorem indifferetiam habere creaturam ad esse, & non esse, dum concipitur in esse possibili, quàm quando actualiter existit; cum enim in statu possibilis nihil sit actualiter, consequenter nihil petere potest actualiter, & exigere, sed ad summum possibiliter, & idè nulla ei inferitur violentia, si non producitur, quamdiu sub statu possibilis concipitur: at quando semel existit, tunc exigere potest ut passiones, & accidentia connaturalia, & sui conservationem, ita ut violentiam patiatur, si aliquid horum ei denegetur; & interdum ad eam summam, ut non nisi supernaturaliter ea negari possint; Quævis autem Angelus semel productus ex sua naturali constitutione perat perpetuò conservari, semper tamen cum tali exigentia retinet non repugnantiam, seu capaciatem ad carendum tali esse, & in hoc sensu tantùm dici potest indifferens ad posse ulterius conservari in tali esse, quod sufficit ad rationem creaturæ; itaque hoc modo declarata prima opinio probabilius defenditur, quàm secunda, quæ planè non talem immortalitatem tribuit Angelis, & anime nostræ, qualem eis adscribit Concilia, & Patres; dum eos vocant natura sua immortales, & indefectibiles; talis enim immortalitas non sufficienter defenditur per hoc solum, quod ab ullo agente creato destrui nequeant nec principaliter, nec dispositivè, ut satis constat ex dictis, & adhuc magis patebit ex solutione objectionum.

ATICULUS SECUNDUS.

Satisfit objectionibus.

78 IN oppositum Primò arguit Brancasius cit. probans Angelum non esse immortalem, & indefectibilem ex natura sua, itaut non nisi supernaturaliter à Deo destrui queat; etenim nulla creatura est ens necessarium ab intrinseco, ergo omnis creatura est ab intrinseco defectibilis; etenim dempta necessitate essendi sequitur defectibilitas. Tùm secundò,

cundò, omnis creatura est ens contingens ergò de se intrinseco contingenter habet in suo esse; ergo potest ab intrinseco destrui suum esse. Tùm tertio, antequam creatura habuerit esse, erat indifferens ad esse, & non esse, & quando determinata est ad esse, talis determinatio solum facta fuit ab extrinseco à libera Dei voluntate; ergo potest ab intrinseco esse de se, dum habet esse, non adeo necessitate intrinseca postulat conservari in actuali esse, ut ei repugnet annihilari, repugnat autem si esset natura sua indefectibilis. Tùm quarto, si Angelus est ab intrinseco immortalis, ergò ex natura sua erit ens necesse esse, atque ita Deus, nam solus Deus est ens ab intrinseco, & natura sua indefectibilis. Tandem creatura ex se nihil est; igitur ex se non potest naturaliter inclinare ad esse.

80 Respondeo, nullam creaturam esse ens necessarium ab intrinseco, sicut est Deus, ita quod excludat omnem possibilitatem non essendi sive per potentiam intrinsecam, sive per extrinsecam, sive naturaliter, sive supernaturaliter; unde in hoc sensu omnis creatura ab intrinseco est defectibilis, quatenus habet intrinsecam non repugnantiam, sive capaciatem, ut destruitur sive naturaliter, sive supernaturaliter; unde tria entium genere distinguere possumus, unum simpliciter, & absolute necessarium, quod per nullam potentiam destrui potest, & talis est solus Deus; aliud verò simpliciter, & omninò contingens, & tale est omnis creatura materialis, quatenus includit intrinsecam principium corruptionis, quod est materia, ideoque perpetuò durare nequit cum solo consensu generali Dei; & tandem aliud est quasi medium inter utrumque, partim contingens, partim necessarium; contingens quidem, quia simpliciter, & absolute destrui potest, & habet intrinsecam capaciatem, ut à Deo destrui possit; necessarium verò, quia non habet principium intrinsecum suæ defitionis, unde quantum est ex se perit perpetuò durare, & defecto durabit cum solo consensu generali Dei, quæ ratio dicit potest esse necessarium secundum quid, & talis est Angelus, ac anima nostra, & in hoc nulla cernitur implicancia, hoc enim nihil aliud est, quàm creaturam talem naturam recipere à Deo, quæ secundum intrinsecam suam principia per se petere esse, & nunquam deficere, quatenus ex sua naturali constitutione, nec ab ullo agente creato destrui potest, nec naturalem potentiam habet ad sui defitionem, sed potius naturalem inclinationem ad sui conservationem, per quam doctrinam cætera argumenta faciliè expediuntur. Ad secundum, verum est omnem creaturam esse de se ens contingens, quatenus quælibet aliquo modo definire potest sive naturaliter, sive supernaturaliter; & cuius verum est quàmlibet ab intrinseco posse suum esse dependere ea ratione, qua ens finitum, & limitatum; sicut tamen non omnes sunt in eodem gradu contingens, ita neque omnes eodem modo possunt definiri, nam alique ita sunt contingentes, ut etiam ex se vel genere creato definire possunt, alia verò ita necessaria, ut non nisi à Deo destrui possint, & quidem supernaturaliter agente, quia cum non repugnantia intrinseca ad defitionem habent naturalem exigentiam, ut perpetuò conserventur. Ad tertium, Angelo repugnat naturaliter definire, quia habet positivam exigentiam, ut perpetuò conservetur; non repugnat verò supernaturaliter, quia cum tali exigentia habet intrinsecam capaciatem, ut de potentia absoluta à Deo destrui possit, quæ etiam ratione dicitur accidenti repugnare naturaliter conservari extrinseco, quia habet intrinsecam exigentiam subiecti; non repugnare verò supernaturaliter, quia cum tali exigentia habet intrinsecam capaciatem, ut ita conservari possit, ut Deo obedientialiter subiectum. Ad quartum, constat ex dictis ad primum. Ad ultimum, creatura ex se neque est aliquid, neque nihil, sed ad utrumque indifferens, quando autem à Deo facta est aliquid, tunc est ens reale positivè inclinatum ad sui conservationem, quia ut sic involvit productionem sui, & realitatem proptèr esse dependenter à Deo.

81 Secundo arguit Vulpes probans esse eternum, Angelos dicuntur natura sua indefectibiles, quia si Angelus natura sua indefectibilis foret, Deus illum annihilare non valeret, quia quod non est natura sua factibile, per nullam potentiam verè fieri potest; non enim res possibilis sunt, quia Deus illas facere potest, sed de contrario, quia ex se ipsis sunt possibilis, ideo Deus potest illas facere, si ergo verum est Deum posse Angelum annihilare, ideo id erit, quia Angelus ex se est annihilabilis, & natura sua factibilis, quod argumentum fuit Aureoli *1. disp. 3. part. 2. art. 4.* Confirmat ibidem Anselmus, quia aut Angelus conservatur à Deo, quia

*M. de la. in Secunda. Sententia.*

sunt defectibiles ex se, & ex natura sua, aut quod non sunt defectibiles ex se; non hoc secundum, quia quod non est defectibile ex se, non eget extrinseco conservante, ergò quia sunt defectibiles ex se.

Respondet grati concedendo ideo Angelum esse supernaturaliter à Deo, annihilabilem, quia ex se annihilabilis est, quatenus ly *ex se* importat in ipso intrinsecam non repugnantiam, seu capaciatem, ut à Deo destrui possit, quæ quidem capacitas convenit ei ex natura sua, quatenus ex natura sua habet, ut ab extrinseca causa pendat in suo esse, ad cuius nutum illud amittere potest; non autem quatenus ly *ex se* importat realem potentiam passivam illum inclinantem positivè ad non esse, quia nulla talis in eo reperitur, sed tantum pura capacitas, seu non repugnantia, quia ex se, & natura sua non habent, unde annihilacioni repugnet; neque implicat creaturam carere naturali, & passiva potentia annihilacionis, & simul habere potentiam obedientialem, seu capaciatem eisdem; sicut non implicat grave carere naturali potentia ad motum sursum, & simul esse habere capaciatem ad illud; ac etiam intellectum creatum esse ex se, & natura sua elevabilem ad visionem beatam, non tamen elevabilem naturaliter, sed divinitus, & miraculose, sic igitur in proposito Angelus est utique ex se, & ex natura sua annihilabilis in sensu declarato, non tamen annihilabilis naturaliter, sed divinitus, & miraculose, quia annihilabilis in eo non dicit potentiam naturalem passivam ad annihilari, sed solam potentiam obedientialem, ac puram capaciatem. Ad confirmationem respondeat per idem Angelos conservari à Deo, quia sunt annihilabiles ex se in sensu declarato, ut ly *ex se* importat intrinsecam non repugnantiam, seu capaciatem, ut à Deo destrui possint, non verò ut importat principium intrinsecum positivè inclinans ad defitionem, quia ratione materia indigent à Deo conservari.

Tertio arguit Brancasius, & Vulpes probando Angelum esse defectibilem, non tantum per solam non repugnantiam, sed per realem, & positivam potentiam passivam intrinsecam, quæ tendit ad non esse; Angelus natura sua est possibilis creari, & annihilari; ergo sicut habet realem possibilitatem, ut creetur, ita ut annihiletur. Tùm secundò, cuiuslibet potentie active correspondet passiva, sed Deus habet potentiam activam annihilandi Angelum; ergò & hic habet realem passivam, Tùm tertio, si non haberet potentiam realem ad annihilari, non esset vere annihilabilis. Tùm quarto, quia sola potentia logica, seu sola non repugnantia ad hoc non sufficit, quia si annihilatio fundatur supra simplicem non repugnantiam, tunc Angelus esse annihilatum idem est, ac dicere non repugnare esse annihilatum, quod non est esse vere annihilatum. Tùm tandem, quia hæc non repugnantia ad annihilari fundatur super aliquid positivum, nempè supra finitatem, ac intrinsecam dependentiam, quam habet Angelus à Deo in suo esse, & conservari; ergò hæc potentia realis erit ipsa finitas, & dependentia Angelii itaque fundametaliter; sed hæc realiter in Angelo, & realiter idem cum ipso, ergo &c.

82 Respondeo, ita Angelum esse annihilabilem, sicut est creabilis; at non est creabilis per realem potentiam in ipso existentem, quia in statu possibilitatis nihil est actualiter, unde solum dicitur creabilis, & possibilis obiectivè; intrinsece quidem per non repugnantiam ex parte sua, ut esse recipiat; extrinsece verò per denominationem extrinsecam à potentia creatoris; sic ergo pariter erit annihilabilis intrinsece quidem per solam non repugnantiam, quatenus non esse acta Angelo non repugnat, cum non sit de eius essentia existere; extrinsece verò per denominationem à potentia Dei; imò verius per realem intrinsecam potentiam potest dici creatura annihilabilis, quando existit, quàm creabilis, antequam existat; quia quando existit fundare potest talem realem potentiam passivam, quam fundare nequit in puro statum possibilitatis, antequam existat; nihilominus hæc non erit naturalis potentia passiva ad non esse, sed ad summum pura capacitas realis ad desistendum sine ulla inclinatione; imò potius cum aliquam violentiam, quia potius unumquodque ens appetit sui conservationem, ut constat ex dictis *num. 76.* quam defensionem. Ad secundum, ad verificandam illam propositionem sufficit, quod ex parte Angeli correspondet potentia logica, seu non repugnantia ad non esse, sicut res possibilis dicuntur habere potentiam passivam logicam potentia activæ Dei correspondentem; vel si contendatur hæc potentiam passivam in Angelo esse pluriquam logi.

logicam, & esse potentiam realem passivam in ipso existentem, negabimus adhuc hanc esse potentiam passivam naturalem, sed erit vel pura realis capacitas ad definendum, vel potentia passiva obedientialis, qualem habent omnes creaturæ in ordine ad potentiam Dei absolutam. Ad tertium, ut dicatur verè annihilabilis sufficit potentia logica, quæ adhuc realis est, ut Valquez ipse concedit cap. 3. in fine, vel etiam realis potentia passiva in natura Angeli fundata, non tamen naturalis, sed obedientialis. Ad quartum, quod Brancasius valde exaggerat, & bis repetit semel *quest. 7. & iterum quest. 8.* nihil prorsus concludit, nam sicut ad creaturam, ut dicatur verè creabilis, & possibilis, antequam existat, sufficit potentia logica, sed non repugnantia ad esse: ita ad hoc, ut dicatur verè annihilabilis, cum existit, sufficit eadem potentia logica, & sola non repugnantia ad definendum. Ad ultimum concedo totum ex dictis *num. 76.* sed nihil inde inferre licet contra primam opinionem, ut à nobis ibidem explicatam.

84 Quarto arguit Valquez ex Patribus præsertim Sophronio, cuius epistola recitata fuit in sexta Synodo *act. 11. & approbata act. 13.* ubi docet Angelos, & animas non esse naturam suam, sed gratia immortales. Deinde ratione, quia Angelus natura sua est capax, ut à Deo destruat; ergo natura sua est immortalis. Tandem id explicat exemplo creaturarum possibilium, quæ licet antequam sint, non habeant potentiam physicam, & realem ad existendum, quia nihil adhuc sunt, rectè tamen dicuntur habere non repugnantiam, sed potentiam logicam; sic ergo pariter Angelus existens licet non habeat potentiam physicam, in qua recipiat destructionem, sicut habet entia materialia, habent tamen non repugnantiam naturalem, quæ potest vocari potentia logica, re tamen est potentia naturalis.

Respondeo, cum Patres negant Angelum esse naturam suam immortalem, accipiunt *ly natura sua*, ut idem significat, quod ex vi sue essentia, & à se independentet ab alio, quo sensu solus Deus dicitur natura sua immortalis, quia habet esse independentes, & incausatum; non autem accipiunt *natura sua*, ut solum significat naturalem inclinationem, & appetitum ad perpetuum sui conservationem, nam in hoc sensu catholice dicitur Angelus natura sua immortalis, quia non est sensus, Deum non posse illum annihilare, sed talem annihilationem esse non posse secundum naturam Angelici; nec ex interna potentia reali, aut inclinatione ejus, ut explicat *art. 74.* & sic pariter cum ajunt Angelum esse ex gratia immortalem, non accipiunt gratiam pro dono nature superadditæ, sed pro voluntate Dei liberè create, & conservante naturam alioquin indefectibilem, quam largitus est Angelis, quia quamvis sit de se indefectibilis, quia tamen adhuc est finita, & dependens, indiget extrinseca Dei conservatione, quæ omnino gratuita est. Ad secundum *num. 74.* explicat, quomodo illa duo simul coherant, Angelum habere intrinsecam non repugnantiam, ut à Deo destruat divinitus, & simul naturalem existentiam, nec sitat, & amplius *num. 76.* explicui, quomodo illa consequentia non teneatur, quia *ly natura sua* proprie loquendo non tantum dicitur puram capacitatem ex natura rei exortam, sed capacitatem cum inclinatione ad aliquid, tanquam ad perfectionem ex naturali constitutione rei debitam, talem autem inclinationem non habet Angelus ad non esse, cum sit ejus destructio, Ad ultimum constat ex dictis *num. 82.*

85 Quinto tandem afferunt Scotistæ nonnulla Scoti loca ad probandum Angelos esse ab intrinseco, & natura sua defectibiles, ita enim innuisse videntur *1. disp. 8. quest. 5. §. ad questionem.* Verum, ut notavit Faber *loc. cit. libri ibi dicitur solum Deum esse immutabilem mutatione, quæ est veritas, id est corruptione substantiali;* & rursus asserat omnem substantiam creatam esse mutabilem subiectivè; quod probat, quia si aliqua creatura esset immutabilis subiectivè, maxime esset prima intelligentia, sive primus Angelus; at hoc est falsum, quia primus Angelus est mutabilis ab intellectu ad intellectum; non tamen asserit Doctor de prima mutatione, loquens creaturam omnem natura sua, & per se ab intrinseco esse positivè mutabilem, & defectibilem; sed solum non esse formaliter necessarium, sicut est Deus, ita quod existere sit de ejus essentia; imò dum de Angelis exemplificans meminit tantum mutabilitatis subiectivæ, & accidentalis, videtur in eis agnovisse aliquam indefectibilitatem substantialem illius ex natura sua convenientem. Deinde alium adducunt locum ex *4. distincti. 49. quest. 6. B.* ubi ait, quod nihil aliud à Deo habet esse formaliter necessarium, sed simpliciter contingens; tamen aliquid creatum dici-

tur habere esse incorruptibile, pro quanto non habet contrariam, vel non potest destrui ab aliquo creato, sed tantummodo potest annihilari à Deo non conservante, & hoc modo potest concedi beatitudinem esse incorruptibilem; sed sic corruptibile, non est ex se perpetuum, nisi possibiliter quia sicut esse suum habet contingenter à Deo conservante, ita & perpetuitatem.

Respondeo, quod licet Scotus dicat aliquid creatum posse habere esse incorruptibile, pro quanto non potest destrui ab aliquo agente creato, sed à solo Deo non conservante, & hoc modo beatitudinem esse incorruptibilem; non tamen dicit Angelum habere solum talem incorruptibilitatem, & non majorem; imò cum talem incorruptibilitatem ibi tribuat formæ substantiali Celorum, ac etiam quibusdam accidentalibus, ut perspicuitati eorumdem, stellarum luminositati, ac ipsi beatitudine; verisimile est, quod suppositis substantiis Angelicis adhuc majorem incorruptibilitatis gradum obtinere, ita ut sint ex se perpetuæ, ac ita pendente à Deo conservante, ut non conservatio esset omnino præter creaturam naturam.

Dices, etiam si beatitudo deficeret, non nisi miraculose, & supernaturaliter deficeret; ergo nequit Angelus esse magis incorruptibilis, quam sit beatitudo, etiam si ejus non conservatio esset miraculosa, & supernaturalis. Respondeo negando consequentiam, quia indefectibilitas beatitudinis aliunde non provenit, nisi quia Deus actualiter illam conservat in beatis ex vi antecedentis decreti, quo voluit eos in perpetuum in tali statu conservare; unde beatitudo non existente tali decreto naturaliter peteret destrui in beatis, & annihilari à causa, quæ amplius non deberet illam conservare; at indefectibilitas Angeli non tantum ex hoc capite provenit, nimirum ex decreto, quo statuit eum conservare in perpetuum, sed etiam ex naturali constitutione ipsius Angeli, qui naturam adeo excellentem à Deo recipit, quod etiam ex suis intrinsecis principiis possit in æternum conservari; unde non tantum in extrinseco Dei decreto fundatur, sed etiam in ipsa Angeli natura; quare destructio Angelis magis miraculosa esset, & supernaturalis quam ipsius beatitudinis deficitio. Post disputationem de Angelorum incorruptibilitate agi solet de eorum duratione, quod est ævum, ac pariter de mensura operationum eorumdem; quarum nonnullas contendunt Thomistæ mensurari tempore quodam discreto ab eis ad hoc excogitato; sed hanc materiam missam facimus, tum quia valde sterilis est, & arida, de qua proinde parum, vel nihil tractant Juniores, cum quibus præsertim disputamus; tum quia de ea quantum fat esse *gimus disp. 13. Phys. quest. 3.* tum tandem, quia cum sufficenter tractat Doctor *2. distincti. 2. quest. 1. 2. 3. & 4.* ac alii veteriores Scotistæ, ad quos me remitto, cum sit materia tota philosophica.

QUESTIO TERTIA.

De loco Angelorum.

An Angelus habeat determinatum locum quoad magnitudinem, & parvitatem.

De loco Angelorum plura tractavi *disp. 11. Phys. quest. 86. §. 7. & 8.* nimirum quomodo sint in loco an scilicet per suam substantiam, vel per operationem, an habeant locum determinatum nedum versus maximum, sed etiam versus minimum; an plures Angeli possint esse simul in eodem loco, & idem simul in pluribus locis, & alia quedam, quæ proinde hic rursus examinare super vacaneum esset, excepta questione proposita, quam rursus hic repetere debeo, ut respondeam Auditori controversiam inter Scotistas, qui ut rigidior Scotista apparet *part. 1. contro. 29.* contendit Angelum nedum quoad magnitudinem, de quo nulla est controversia, sibi locum determinare, sed etiam quoad parvitatem, eò quod Doctor hinc parti favere videtur *2. distincti. 2. quest. 6.* cuius oppositum ego docui *disp. 11. cit. quest. 5. art. 2. num. 84.* primo itaque videbimus quam bene solvat rationes nostras, deinde quam bene impugnet resolutionem nostram.

Primo itaque probamus *loc. cit.* Angelum non habere locum determinatum quoad parvitatem, sed semper esse posse in minori quocumque assignato, quia licet Angeli substantiam necessario exigat aliquod Ubi, vage nullum tamen determinatè, neque determinatè extensionis versus minimum, quia capacitas tanti, vel ita Ubi intra spheram adequati loci im-

media-

mediatè subditur voluntati Angeli; eum igitur sit in tali, ac tanto loco per suam substantiam liberè applicatam intra limites adequati loci, poterit ad eius libitum semper in minori, & minori parte loci se constituere, quæ etiam ratione diximus probari, se posse etiam in puncto constituere, licet non tantquam in loco proprio, quia locus est quatuor, & divisibilis. Responder Auditor ille in potestate Angeli esse se locare in minori, & minori parte loci, & determinationem loci maioris, & minoris, quem sibi præscribit non verò loquendo de loco minimo, & minimo in infinitum; sicut Angelos determinari sibi pro loco adequato hanc aulam poterit esse in loco minori, qui sit pars illius loci adequati v. g. in parte aule, vel in medietate, & poterit etiam esse in minori loco, qui non sit pars loci adequati, ut potè in ista parva camera, que non sit pars loci adequati, & est minor loco adequato, & in hoc relictæ libertas Angeli in ordine ad locum.

Contra in hac responsione manifestè petitur principium, quia datur per id, quod est in controversia; hoc enim est, quod controvertitur in proposito, an Angelus intra spheram sui adequati loci habeat determinationem loci maioris, & minoris, ergo pro non habere determinationem loci minoris, quia est in tali ac tanto loco per suam substantiam liberè applicatam intra limites adequati loci; ergo poterit ad eius libitum se constituere semper in minori, & minori intra potestatem Angeli se locare in minori, & minori intra determinationem loci maioris, & minoris, non autem in minori in infinitum; ergo responder per id, quod est in controversia, supponendo nimirum dari talem determinationem loci minoris, quæ per ipsum argumentum impugnatur, quæ dicitur petitio principii ex parte respondentis. Tum quia ad paritatem de loco indivisibili in argumento tactam nihil responderet, eum tamen satis urgeat, nam si poterit esse in loco indivisibili, id est in puncto, ut etiam Auditor ille concedit in *2. notab.* ergo etiam in loco quocumque minori infra locum suum maximum: probatur consequentia, quia facillime videtur Angelum se contrahere posse ad locum minorem, & minorem in infinitum, quam ad solum indivisibile ipsum; ergo si illud est possibile iuxta illius auctoris placitum, etiam & illud, nam quecumque ratio adhibetur pro exclusionem loci minoris, & minoris in infinitum, valebit etiam ad exclusionem loci indivisibili.

87 Secundò idipsum probabam *disp. 11. cit. n. 86.* Angelus dum est in loco adequato est totus in toto, & totus in qualibet parte etiam proportionali, quantumvis minima, imò etiam in puncto; sed ita in singulis partibus existit, ut existens in una non dependeat à seipso existente in alia; ergo in quacumque signata, vel signabili poterit existere non existendo in aliis, imò etiam in puncto. Responder Auditor ille, loquendo de partibus intra latitudinem parvitate, & magnitudinis, concedo non dependere à seipso existente in una, vel alia parte, loquendo autem de partibus extra talem determinationem, nego; necessario enim est in tot, & talibus partibus, adeo quod nullam illarum potest amplius dimittere, & si dimittat omnes simul dimitteret.

Sed hæc quoque solutio eodem vitio laborat, quo præcedens; supponit enim eam determinationem parvitate loci Angelici, de qua est tota controversia; & rursus loquendo de partibus extra talem determinationem asserit abique ulla ratione esse in una parte, ut à seipso dependeat existente in alia; neque enim offendi poterit in quo genere causæ, aut conditionis sine qua non; possit habere talem dependentiam, & in quo necessario fundetur necessaria connexio illorum locorum partialium, ita ut nequeat esse in uno loco, quin sit in reliquis partibus loci; & saltem debebat assignari aliqua disparitas, cur intra spheram sui adequati loci liberè se applicet his partibus loci, non verò illis; quod si rursus dicat, quia illæ continentur intra latitudinem loci determinati quoad magnitudinem, & parvitatem, non verò ita; en rursus petitio principii, nam de hac determinatione est tota controversia; quod si ad evitandum principii petitionem dicit se iam sufficienter probasse talem determinationem, parebit statim hoc etiam esse penitus falsum. Tum tandem, quia quando existit in loco adequato, non solum est in quacumque parte ipsius quantumvis minima, sed etiam in puncto; ac existens in puncto ita in eo existit, ut alias omnes partes possit dimittere, & in solo puncto sistere, ut concedit arguens; ergo non est habilis ratio, cur existens in aliqua minima loci parte non possit ex libertate sua in illa sola sistere alias dimittere; non enim, ut dicebam, apparet, cur hoc sit difficultius illo.

Mold. In Secunda Sententia.

Tertiò Auditor ille transiens à partibus respondentis ad partes arguentis contra nos obicit rationem primam Doctoris in Euclide fundatam, quia probat Angelum non posse esse in loco quantumcumque parvo, quia posset esse in loco quantumcumque magno, & quantumcumque longo, etenim quicquid potest esse in uno æqualium, potest esse in altero, si sibi figuratio non repugnat, Angelo autem nulla figuratio repugnat; & ergo si poterit esse in quadrato quantumcumque parvo, & stricto, poterit pariter esse in quadrangulo illi quadrato æquali, talis autem quadrangulus potest in infinitum protrahi, cum possit in infinitum restringi; ecce quomodo Scotus negat Angelum posse esse in loco quantumcumque longo, sed esse simul in Cælo, & in Terra, ut etiam negat Damascenus, & Gregorius. Hanc rationem retortit contra Scotistas *disp. 11. cit. nam. 87.* & demonstravi eam oppugnare determinationem loci Angelici nedum versus parvitatem, sed etiam versus magnitudinem, quod adhuc evidentius ostendo; nam de facto Angelus est in loco minori, quam locus, qui ponere ab Aderfaris determinatus versus parvitatem, quia locus iste minor est pars illius loci minimi, qui determinatus ponitur versus parvitatem, sit ergo locus iste minor quadratus alius, iam Angelus esse potest, imò deest in eo; ergo etiam poterit esse in quadrangulo quantumcumque longo, qui ex eo efformari potest loca variata figura quæ variatio Angelo non repugnat, atque ita simul esse poterit in Cælo, & in Terra. Hinc retortio occurrit Auditor ille; sed quia eius responsio fundatur in rationibus, quibus probat Angelum non posse esse in loco quantumcumque parvo, quia posset etiam esse in loco quantumcumque longo, examinanda prius veniunt eius rationes, nam ex earum nullitate, nulla erit quoque eius responsio ad meas retortiones.

Ad rationem igitur Doctoris in Euclide fundatam, quam 89 dicit ab eo afferri tantum, ut probabilem, non verò ut necessarium, cum Mairone concessi posse Angelum esse in linea à Cælo usque ad terram protracta, & hoc naturaliter, neque ex hoc sequi esse in loco maiori, quam sit maximum sibi determinatus, quia licet excedat in longitudine, deficit tamen proportionaliter quoad latitudinem, quia quadratus, & quadrangulus sunt æqualis quantitas sola figuratone differentes, & idè eo casu non esset Angelus extra spheram sui loci adequati; Patres verò citati negant posse Angelum esse simul in Cælo, & in Terra secundum omnes dimensiones sui loci adequati, ita ut sit spatium adequatum est stadium, secundum omnem dimensionem extendi nequirat terra usque ad Cælum, nam sic esset in pluribus locis adequatis naturaliter; aliam quoque ibi dedit responsonem *n. 88.* iuxta quam negandum est Angelum esse posse in quadrangulo quantumcumque longo. Sed priorem responsonem impugnat Auditor ille, quia si posset Angelus esse in loco quantumcumque longo in infinitum, dummodo talis locus non excedat magnitudinem determinati loci ipsius Angeli, esset virtus indeterminata, & infinita quia locare se in loco longitudinis unius digiti est alius virtus, & perfectionis, longitudinis duorum digitorum, maioris virtus, ergo in infinitum ascendendo erit infinita virtus. Nec dicas hoc probare de longitudine non contenta in spherâ determinati loci ipsius Angeli, hoc enim modo maiorem arguit virtutem, non autem quando talis longitudo, quacumque sit, continetur intra spheram loci adequati mobilis, ut est in proposito.

Non valet, inquit, eo quia illa locatio, quæ est circa talem longitudinem intra spheram adequati loci est effectus indeterminatus, & infinitus sine theogematiæ, ergo erit virtus infinita sine theogematiæ, cum talis sit virtus, qualis est effectus, nec excedat ipsam causam. Conf. illa virtus est infinita, cui non potest assignari effectus determinatus, ad quem totum conatum suum possit applicare, ut activa est; Sed si Angelus intra talem spheram posset versus longitudinem infinitè se movere, nunquam posset agere ad terminum sibi adequatum, agens enim, quod in agendo non potest totam suam virtutem, & conatum adhibere ad producendum effectum suæ virtuti correspondentem, videtur indeterminatum, & infinitum; & hoc intendit Scotus, ut videtur esse in ipso; hoc enim dato Angelus saltem versus longitudinem esset immensus, cum hoc modo sibi non determinet locum, possetque esse in loco tantum longo, quantum ipse Deus; hinc Scot. cit. *lit. L. dicit*, quod Angelus determinat sibi locum, quo maiorem non potest habere, & aliquid quo minorem loquendo de circum, licet forte possit esse in puncto, quibus verbis deducitur debere semper ipsi Angelo de-

F 2 termi-

terminari locus, & effectus assignari determinatus. Deum, si unum mobile, quod possit esse in loco longitudinis unius digiti, certum est hoc esse alicuius virtutis in illo mobili; si aliud mobile, quod possit esse in loco longitudinis duorum digitorum, hoc secundum erit maioris perfectionis & virtutis, quam primum, & ita semper ascendendo; modo mobile potens omnem datam, & dabilem longitudinem pro loco habere, omnia talia mobilia in perfectione, & virtute excedit in infinitum, ergo cum Angelus casu dato, illi mobili versus longitudinem adequatur, erit in finita virtute, cum suus locus possit semper, & semper in infinitum protrahi.

99 Hæc tamen impugnationes procedunt ex insufficienti intelligentia datæ responsionis; unde ad primam negatur consequentia, quod scilicet Angelus esset infinitæ virtutis, quia tunc occupatio maioris, & maioris loci in infinitum argueret infinitam virtutem in Angelo, si fieret per partes determinatas, & æquales, ex quibus, si omnes ponerentur a parte rei, fieret infinitum categorematice; quando autem dictus in casu posito de reductione quadrati in quadrangulum posse Angelum esse in loco quantumcunque longo in infinitum, certè id non fieret per partes determinatas, & æquales, sed indeterminatas, & proportionales; quavis enim quadrangulus per compressionem laterum possit protendi in longitudinem maiorem, & maiorem in infinitum; hoc tamen non intelligitur per processum partium determinatarum, & æqualium, & in infinitum categorematice, sed per proportionalem, & in infinitum sine categorematice; imò hæc ipsa ratio multi negant, & quidem non immerito, ex hoc, quod possit esse Angelus in loco quantumcunque longo in infinitum, si fieret per partes proportionales, negant (inquam) hinc sequi, quod Angelus posset naturaliter esse simul in Cælo, & in terra, quia ex quadrato v.g. quatuor palmorum, aut octo, non potest naturaliter fieri quadrangulus, qui possit à terra protendi usque ad Cælum, nam tanti loci occupatio fieri deberet per partes determinatas, quæ in casu posito non sunt, nisi octo palmi; sicut à pari licet in quantitate bicubita sint tot partes proportionales, quot sunt in quantitate cubitorum mille, non sequitur, quod illa occupare possit simul tantum locum, quantum illa, quia tanta moles, & tanta loci occupatio attenditur pænes multitudinem partium determinatarum, quarum una est extra aliam, non verò proportionalium, quæ continentur in una determinata, & minor semper in maiori, cuius est pars, quæ proinde dicuntur partes communicantes, & quamvis *disp. 1. tit. num. 88.* concederetur inde sequi Angelum esse simul in Cælo, & in terra, naturaliter in eo casu restrictionis quadrati in quadrangulum; instanti id admittimus, in quantum adhuc concessio non sequitur Angelum esse extra spheram sui loci adequati, quia quadratus, & quadrangulus sunt æqualis quantitates sola figuratone differentes, neque sequitur aliquid contra Patrum testimonium, quia cum negant Angelum esse simul in Cælo, & in terra, hoc asserunt secundum omnes dimensiones sui loci adequati modo supra explicato; ac proinde etiam ibi assignavimus aliam responsionem, in qua negamus Angelum naturaliter esse posse in quadrangulo quantumcunque longo, ita ut simul esse possit in Cælo, ac in terra.

Itaque ad argumentum, negatur sequela cum eius probatione, siquidem antecedit illud, quod Angelus esse possit in loco quantumcunque longo in infinitum intelligitur secundum processum partium proportionalium, & probatio consequentia tenet de processu secundum partes determinatas, & æquales; Ad illam verò instantiam, cum dicebat, quod si illa locatio in loco quantumcunque longo fit effectus sine categorematice infinitus; ergo erit virtutis infinitæ sine categorematice, cum talis sit virtus, qualis est effectus, quamvis hæc probatio sequela non valeat omnino, quia effectus potest esse finitus, & virtus in finita, potest tamen concedi, vel negari sequela iuxta variam sententiam infinitatis sine categorematice; nam si per virtutem sine categorematice infinitam nisi aliud intelligitur, quam virtutem, qua possit Angelus in casu compressionis quadrati in quadrangulum latitudinem suæ spheræ successivè contrahere, & in longitudinem ampliare; ita concedi potest sequela, nam etiam intellectus v. gr. potest successivè producere infinitas intellectiones sine categorematice, nedum numero, sed etiam specie distinctas, & adhuc est finitæ virtutis, ut notat Lichetus. *2. disp. 3. q. 10.* ubi & alia exempla ad hoc adducit aliarum causarum, quæ infinitos effectus successivè producere possunt per eandem omnino virtutem; si verò per vir-

tutem sine categorematice infinitam intelligit illam, quæ semper sit maior, & maior sine termino, quo sensu divisio continui dicitur effectus sine categorematice infinitus, hæc negatur sequela, quia divisio continui est sine categorematice infinita, & tamen virtus divisiva continui non est maior, & maior sine termino, sed finita, & limitata.

Ad confirmationem nego maiorem cum eius probatione, 91 nam habet manifestam instantiam in divisionibus continui, & aliis effectibus, qui ab eadem numero causa produci possunt, & per eandem virtutem in infinitum plures, quæ tamen adhuc non est infinita virtus; non enim intellectus potest simul, & semel producere omnes intellectiones ab eo successivè possibilis, nec ullus agens creatum potest continuum dividere in omnes eius partes proportionales simul etiam omnem conatum suum adhibendo, & tamen hæc agentia censentur adhuc ab omnibus virtutibus finitæ, & limitatæ; ergo maior illa est omnino falsa, neque Scotus rudis adeo fuit ingenii, ut id intendere voluerit *loc. cit.* Ad ultimum, laborat argumentum eadem æquivalence, qua primum, quia ascensus in antecedente quoad maiorem semper, & maiorem loci occupationem fit per partes loci determinatas, & æquales, loci nempe unius digiti, duorum digitorum, &c. unde bene deducitur, quod mobile potens omnem datam, & dabilem longitudinem pro loco habere in hoc sensu nempe procedendo per partes determinatas, omnia illa mobilia in perfectione, & virtute excederet in infinitum; sed lubilita minor est falsa, quod Angelus casu dato illi mobili adequaretur, cum enim dicitur suum locum per longitudinem posse in infinitum protrahi, clarum est hoc non posse fieri per processum partium determinatarum loci, sed indeterminatarum, & proportionalium, iuxta quas tantum verificatur, quod quadratus per laterum compressionem in infinitum restingit, & quadrangulus per longitudinem in infinitum protrahi possunt, ut patet ex dictis.

Quarto deinde hinc deducitur Auctorem illum nec bene 92 occurrere retorsioni à me facte illius rationis Scoti in Euclide fundatæ, qua talis erat; sit Angelus in quadrato palmari, ut in loco sibi adequato, ex illo quadrato sola variata figura efformetur quadrangulus, semper poterit Angelus totum illud spatium occupare, cum sit idem omnino spatium, quod erat in quadrato, ut supponitur, licet alterius figure; & quia potest quadrangulus ille in infinitum protendi, poterit Angelus esse in loco quantumcunque longo in infinitum, nec erit virtutis infinitæ, nec immetus, quia est semper idem spatium, nec est extra spheram sui ad æquivalenti. Responder Angelum posse semper permanere in illo quadrangulo quantumcunque in infinitum protrahendo, dummodo passivè tantum se habeat ad illam locationem, quia tunc talis effectus erit virtutis infinitæ, non virtutis Angelicæ; hæc autem hæc habendo non potest esse ob rationes adductas, & licet spatium illud materialiter sumptum non sit extra spheram activitatis ipsius Angeli, formaliter tamen acceptum, & cum tali successione est extra spheram adequati loci Angeli, cum hoc modo, & tali successione habeat rationem in finiti, veluti constat de mobili supra spatium continuum, & divisibile; certum est tale mobile posse per transitu quantitate duorum palmorum, nec tale spatium excedit eius virtutem motricem, ut est quoddam determinatum, & finitum: at si consideretur, ut quoddam infinitum, & divisibile in semper divisibilia, non potest illud pertransire, nec omnes partes illius indeterminatas sigillatim finire, sic enim suam virtutem excedit, & tamen est semper idem spatium materialiter; sic evenit in proposito de Angelo in ordine ad illud spatium, quod statuitur ius locus adequatus; ut quid determinatum non excedit suam virtutem, sed bene ut quid indeterminatum; & successivum.

Hæc responsio, quam ait Auctor in margine esse 93 valde notabilem, in primis contradicit doctrinæ habitæ in sui impugnationibus iam solutis; etenim in eis dicebat Angelum esse non posse in quadrangulo quantumcunque in infinitum protrahendo, quia saltem versus longitudinem esset immetus, & possit esse in loco tantum longo, quantum ipse Deus; & quod esset infinitæ virtutis, quia locare se in loco unius digiti est alienius virtutis, longitudinis duorum digitorum est maioris virtutis, &c. quibus sanè verbis indicat tale spatium fore infinitum categorematice, quia esset immetus versus longitudinem, & constaret infinitis partibus determinatis, scilicet infinitis digitis; ac proinde tale spatium etiam quoad rem ipsam, & quoad dem-

mentionem esset extra spheram activitatis ipsius Angeli; in presentem verò responsionem ait tale spatium in illo quadrangulo contentum non esse quoad rem ipsam, & materialiter lumina extra spheram activitatis Angeli, sed tantum formaliter acceptum, & cum tali successione, quatenus scilicet non potest in eo locare procedendo per partes indeterminatas, & acquirendo illud, ut habet rationem infiniti sine categorematice, quæ sanè, ut patet, est illemlis contradictio; Deinde si hæc responsio sufficit ad illam meam retorsionem, poterit quispiam dicere, quod etiam sufficit ad solvendum ipsam Scoti rationem in Euclide fundatam, nam de facto etiam quidam Scotistæ nobiscum sentientes, illamque probabilem tantum arbitantes, non verò necessariam, dicunt eam concludere tantum, posse quidem Angelum constitui in loco quantumcunque longo in infinitum, at id non virtute sua, sed omnipotentia Dei, sic enim respondet Brancasius *disp. 5. de Angelis q. 6.* licet hæc responsionem ergo non admittam, quia ratio Scoti re vera concludit, quod si potest esse naturaliter in quadrato quantumcunque paucis, & stricto, poterit etiam pariter naturaliter esse in quadrangulo quantumcunque longo ex illo quadrato efformabilis.

Denique argumentum retortum stat in suo robore, quod si Angelus potest se activè locare in quadrato palmari, poterit etiam se locare in quadrangulo, quia est idem omnino spatium, quod erat conclusum in quadrato, cum unum ab alio non differat in quantitate, sed in dimensione, sed sola figuratone; & licet verum sit non posse quadratum per compressionem laterum protendi in longitudinem maiorem, & maiorem in infinitum, nisi respectu partium indeterminatarum, quæ sunt infinitæ sine categorematice, Angelus tamen non acquireret aream illius quadranguli procedendo per partes indeterminatas, sed per partes determinatas, si quidem motus localis ex 6. Phyl. fit per acquisitionem partium determinatarum, non autem proportionalium præcisè, quia cum iste sit finitæ sine categorematice, namquam motus inelaper, cum nequeat prima pars proportionalis assignari, unde proportionales acquiruntur solum concomitantèr, quatenus in una æquali, ac determinata includunt; & rursus falsum est, quod *loc. cit.* ait Auctor ille, ex restrictione quadrati in quadrangulum partes quadrati recipere rationem infiniti, & indeterminatæ, ac proinde non posse Angelum se in illo locare, ut sunt in quadrangulo, sicut se locabat in eis, dum erat in quadrato; hoc (inquam) falsum est, quia vel est sermo de partibus determinatis, & quidem iste tot sunt in quadrangulo, quot erant in quadrato sola variata figura; si enim fit quadratum circumferentia octo palmariis, ejus profundè tam longitudo, quam latitudo sit bipolaris, si ascendet latera ad latitudinem unius palmi sub æquali circumferentia perficiet quadrangulum longitudinis sex palmorum, & latitudinis unius palmi, nam utraque linea supera, & infera claudens quadrangulum erit unius palmi, atque ita quadrangulus ex octo palmis constabit, sicut quadratus, sola variata figura: si verò sit sermo de partibus indeterminatis, & proportionalibus, iste non magis habet rationem infiniti in quadrangulo, quam haberet in quadrato, quia utrobique sunt infinitæ sine categorematice, nec possunt unquam, sive sint in quadrangulo, sive in quadrato acquiri per motum localem iuxta modum suæ infinitatis, sed solum quatenus continentur in determinatis, atque cum eis constituitur spatium determinatum; quare sicut in quadrato acquiruntur ab Angelo per motum localem, quatenus constituitur magnitudinem, & partem determinatam, non per modum infinitatis suæ, sic etiam pariter in quadrangulo.

Alia ratio Scoti perpenditur.

94 Quinto urgetur alia ratio Scoti; si Angelus non haberet locum determinatum versus partem, sed posset se ponere in minori, & minori in infinitum; esset virtutis infinitæ; probatur consequentia, quia quantum magis Angelus habet in potestate sua quantitate virtutis, secundum quam est in loco, tanto major in ipso arguitur virtus activa; ergo sicut ex eo, quod posset se ponere in maiori, & majori loco in infinitum, sequeretur infinita virtus in ipso, idem sequeretur ex eo, quod posset se ponere in minori, & minori in infinitum. Respondi *disp. 11. tit. num. 89.* quod si hæc ratio vim ex prima non delinuit in Euclide fundatam modo sibi explicato, nihil penitus probat, & omnino

neganda est paritas de posse in majus, & de posse in minus; aliter si quis haberet potentiam ferendi pondus, ut centum, deduci posset hæc potentiam ferendi infinitam, quia non solum potest eam applicare pondus, ut centum, sed etiam ut quinquaginta, viginti, decem, &c. & sic in infinitum, & potentia quam habet Angelus ad dividendum continuum in minores, & minores partes in infinitum esset pariter infinita, & sic in multis aliis similibus.

Sed instat Auctor ille, eam esse maximam, & Scotticam rationem; ad exemplum adductum, inquit, quod licet aliquid habeat apparentiam, non tamen debemus dimittere Scotticas rationes licendo esse tantum probabiles, non necessarias, ipsumque dabitivè, & disputativè tantum loqui; sic enim in qualibet alia questione, dum rationes adversariorum perurgunt, possemus Scotum effugere; clarissimum enim est Scotum ibi ex propria mente loqui, & rationes, adducere, ut probantes, & convincentes, non ut probabiles tantum; itaque dicit non esse paritatem rationem, eo quia pondus minus, & minus non supponit maiorem, imò maiorem virtutem, quia portantis virtus respicit illud, ut contentum intra spheram activitatis suæ; non ita de applicatione virtutis ad maiorem, & maiorem locum in infinitum, etenim licet talis locus materialiter loquendo sit intra spheram activitatis Angeli, ut supra dictum est, formaliter tamen loquendo & ut successivè consideratur, est extra spheram suæ activitatis; quæ de causa ait Scotus, quod sicut posse esse in maiori, & majori loco arguit infinitam virtutem, ita pariter posse esse in minori, & minori; cum ut sic possit æquari cuilibet longitudini, nec possit assignari major longitudo determinata, cum hæc sit infinita sine categorematice; & hoc intendit ratio Scoti, quod non est ita de portante, cum semper respiciat illud pondus, ut quid determinatum, & finitum.

Respondeo, negando Scotum *loc. cit.* assertivè loqui, 95 & rationes illas ab ipso adductas tanquam necessarias, etenim dixi *disp. 11. tit. num. 84.* Doctorem in hac materia de loci Angelici determinatione versus partem in tota illa questione in choando a 5. de tertio semper dabitivè, & disputativè procedi, & veridicus ille, *de hisse in unulo*, sub lit. L. ubi assertivè videtur statueret determinationem loci Angelici versus partem, & quem toties repetit Auctor nosse, in scripto Oxoniensi passim signatur pro additione; & quamvis Scotistæ antiquiores eam sequantur, ut verum Scoti opinionem, Recentiores tamen Scotistæ re melius ponderata aliter sentiunt, unde Brancasius *disp. 5. tit. quæst. 6. num. 10.* ait, quod sicut ibi Doctores dabitivè, & problematicè procedit, ita quoque pro ea parte rationes tantum optatas, non verò demonstrativas adduxit, licet responsiones suæ ad illas nullo modo mihi probentur, quas nullo negotio recellere possem, sed brevitas gratia pertranseo, quoniam eas legenti statim constabit esse omnino frivolos, ac nullius momenti; Poncius item *disp. 14. quæst. 2.* idem sentit, unde *num. 10.* ad objectionem, quod Scotus sententia opposita favere videatur, responder eum favisse illi sententia ex suppositione tantum alterius opinionis, quam putavit probabilem, nempe quod Angelus non posset esse in puncto, neque enim cogitaverat eum, si minor esse in puncto, non posse esse in quocunque loco minori assignabili ex omnibus, quæ continentur intra locum adequatum ipsius; unde cum absolute non teneret alteram sententiam, sed problematicè, ita etiam de hac re dicendum est; perperam ergo, & sine sufficienti reflexione ait Auctor ille Scotum ibi ex propria mente loqui, & duas illas rationes adducere, ut probantes, & convincentes, non ut probabiles tantum.

Dispariter verò, quam adducit ad confutandam meam solutionem de potentia lativa ponderis minoris, & minoris in infinitum, ac de virtute occupativa loci minoris, & minoris in infinitum, jam sufficienter rejeci supra *num. 93.* quod si paritas assumpta de virtute lativa ponderis minoris, & minoris in infinitum non ei satis ad rem videbatur, aliam dissimulare non debet paritatem etiam in mea responsione adductam de potentia, quam habet Angelus ad dividendum continuum in minores, & minores partes in infinitum; hæc enim non nisi successivè reduci potest ad eam semper imperfectum, eamque divisionem semper respicit, ut effectum indeterminatum, & inadæquatum, & omnino assimilatur applicationis virtutis, quæ faceret se in minori, & minori loco in infinitum, & non ob id ea virtus est infinita, nec extra spheram activitatis Angeli. Cum tandem concludit idem Scotum dixisse, quod sicut posse esse in maiori, & majori loco arguit infinitam virtutem, F 3 ita

ita pariter posse esse in minori, & minori, cum ut sic possit aequari cuilibet longitudini, nec possit assignari major longitudo determinata, cum haec sit infinita sine theorematice; plane ostendit Auctor ille non satis firma habere philosophica fundamenta, nec superficialiter quidem calere materiam de continuo, quae docetur 6. Phys. non enim ex hoc, quod aliqua longitudo est infinita sine theorematice, retineatur, quod non possit assignari longitudo determinata major illa; alioquin sequeretur, quod cum longitudo palmaris sit infinita sine theorematice, quia constat infinitis partibus proportionalibus, non posset assignari longitudo major illa; & ratio est, quia majoritas, vel minoritas molis, & dimensionis non attenditur paucis multitudinem partium proportionalium, & indeterminatam, quae in quolibet continuo, quantumvis minimo, sunt infinitae sine theorematice, sed determinatarum, & aequalium; unde cum dicitur longitudo extrahibilem ex quadrato, dum reducitur in quadrangulum, aequari posse cuilibet longitudini, hoc solum verificatur respectu partium indeterminatarum, non vero determinatarum, nam si quadratus v.g. sit octo palmaris, si efformetur in quadrangulum, longitudo quadranguli quoad partes determinatas nunquam excedere poterit longitudo octo palmarum, atque ita falsum est, quod nequaquam signari longitudo determinata major illa. Sicut si linea palmaris divideretur per partes proportionales, & ita successively divideretur alteri lineae palmaris, haec linea palmaris, cui talis fieret additio, diceretur semper crescere in longitudinem infinitam sine theorematice per partes proportionales alterius lineae sibi additas, tamen quoad longitudinem determinatam ex tali additione non posset acquirere, nisi novam longitudinem palmarum, ita ut ex longitudine sua, & alia superaddita non fieret, nisi linea bipalmaris.

96 Sexto, idem Auctor rationibus Scoti non contentus aliam rationem addit proprio Marte ad probandum Angelum non posse esse in loco quantumcumque minimo in infinitum, sed etiam versus parvitatem sibi locum determinare; si Angelus posset esse in loco quantumcumque parvo in infinitum, ergo non posset se locare in loco sibi adaequato versus magnitudinem se movendo; probatur sequela, sit v.g. A. terminus a quo ipse Angelus, dum se movet versus magnitudinem, & terminus ad quem ipse motus, & loci Angeli sit B. clarum est esse eandem distantiam ab A. & B. ac sit B. ad A. ergo si dum Angelus se movet a B. ad A. versus parvitatem, non posset pervenire ad terminum ultra quem non possit se movere, cum semper possit esse in loco minori, & minori in infinitum; pariter est contra, dum movetur se ab A. ad B. versus magnitudinem, nunquam poterit pertransire illud spatium, nec se locare in solo determinato versus magnitudinem. Nec valet dicere hoc argumentum probare tantum de Angelo se movente per partes indeterminatas, quae cum sint infinitae, omnes singillatim, & determinate pertransire non possent, ut tamen continetur in parte determinata posse illas pertransire. Non valet inquam nam ipsi dicunt, quod dum Angelus se movet a B. ad A. id est versus parvitatem, nunquam posset pervenire ad locum suae potentiae adaequatum, cum semper minorem, & minorem in infinitum possit habere, quomodocumque se movet ab A. ad B. sicut enim descendit, ita ascendit, nunquam poterit pervenire ad B. sed semper spatium pertransiendum tamen accipit; cum ergo illa virtus sit determinata, & finita, debet habere effectum sibi determinatum tam versus magnitudinem, quam versus parvitatem, & determinate agere respiciendo illud spatium, ut quid determinatum non indeterminatum.

97 Respondeo, falsum penitus esse, quod Angelus aequaliter se movet ab A. & B. & a B. ad A. & quod eodem modo descendat a termino magnitudinis versus parvitatem, & a termino parvitatis ascendat versus magnitudinem; etenim quando movetur ab A. in B. hoc est a minori loco ad majorem, iste est motus acquisitivus; at quando est contra movetur a B. in A. hoc est a majori ad minorem est motus deperditivus, siquidem sit talis motus deferendo majorem locum intra sphaeram sui loci adaequati, & retinendo minorem, in quo prius existerat, & qui erat pars illius loci majoris; quia igitur versus parvitatem nullus datur terminus, poterit Angelus deferendo successive majorem locum se se retrahere ad minorem, & minorem in infinitum; quia vero versus magnitudinem datur terminus, poterit successive est contra moveri a minori ad majorem quousque perveniat ad maximum, quem sibi determinat, procedendo per par-

tes determinatas, quae sunt finitae, & in certo numero; unde argumentum in forma neganda est consequentia, & ad ejus probationem concessio antecedente neganda est rursus consequentia; ac etiam admittit responzione inter arguendum data, neganda est iterum consequentia ad replicam factam contrariam, ob rationem altam, quod versus parvitatem non datur terminus, & idem potest semper esse in minori, & minori loco successive deferendo majorem per motum deperditivum, & quia versus magnitudinem datur terminus, scilicet movendo per partes loci determinatas tandem perveniet ad maximum locum, quem sibi determinat; ex quo rursus apparet omnino falsum esse, quod aequaliter se movet Angelus ab A. in B. & est contra, & quod ita ascendat versus magnitudinem, sicut descendit versus minoritatem; nam procedendo versus magnitudinem reperitur terminus, qui non reperitur procedendo versus parvitatem, nec aliud misterium in hoc argumento deprehendo.

98 Postremo Poncius *disp. 14. cit. q. 2. num. 12.* est probabiliter censet nostrum assertum, & solvat duas rationes Scoti adductas, ad huc tamen probabilibus censet Angelum non posse pro libito se se restringere ad minorem locum, quam sit adaequatus; quod probat, quia nulla profertur esse ratio, aut utilitas, ob quam posset ita se contrahere, nec enim in ullo casu naturaliter possibile potest devellere, aut in emolumentum ipsius, aut universi, quod sic se contrahat; quicquid enim potest facere in loco parvo, ad quem se contraheret, potest facere in loco magno tam facile, & tam expedito; ergo non credit illa virtus contractiva in utilitatem ullam ipsius, aut universi, nec consequenter danda est ipsi. Verum quamvis Doctor *loc. cit.* etiam in hoc puncto sit problematicus, ut patet lit. L. an scilicet Angelus requirit determinatum locum, & determinate sicut corpus, ut non possit ad libitum se restringere ad minorem locum; quam sit adaequatus, attamen *disp. 11. cit. num. 8.* oppositam defendo, ut communior, & probabilior, quam sibi prode ex quotidiana praxi, qua docemur eundem spiritum occupare modo corpus viri, modo pueri, & responzione Bassolii recitatio dicentis, quod cum idem spiritus modo virum, modo puerum occupat, obviando quantum occupat etiam tantundem aeris circumstantis, quantum opus est ad latitudinem sphaerae localis ejus, hoc enim identidem dicebam esse contra praxim exorcistiarum, qui spiritus interdum cogunt se retrahere ab una parte corporis obfessi ad aliam, & multoties in digito coercent; & ex doctrina foliorum Poncii discursus, quando enim nullam illi suppetret utilitas, vel Angeli, vel universi, quod Angelus ita se contrahere possit, & cohibere intra sphaeram sui adaequati loci, satis evidens, & obvia est utilitas jam allata in obfessis, & quamvis non sit ratio necessaria, valde tamen probabilis est ad inveniendum, quod Angelus talem virtutem contractivam habeat, ut possit se contrahere in minori loco intra sphaeram sui loci adaequati.

QUAESTIO QUARTA.

De motu Angelorum.

An Angelus possit transire ab extremo in extremum non transiendo per medium.

99 Non est quaestio de motu continuo, & successivo, nam ut etiam Scotus ipse significat 2. *disp. 2. q. 12.* ab initio lucide concedunt omnes in hoc sensu Angelum, dum movetur de uno loco ad alium locum, debere necessario transire per medium, etenim motus idem dicitur continuus, & successivus, quia continuus fit per spatium continuum, & in tempore continuo, & successivo, hoc autem fieri non potest, nisi Angelus motu suo spatium quae continetur in tempore continuo, & se successive movet per illud, praesentem se faciens prius parti priori spatio, deinde posteriori, quo plane motu Angelus transiit per medium, ut de uno extremo ad aliud perveniat; Sed solum est difficultas, ut notat Doctor ibidem, de motu indivisibili, sed mutatione locali instantanea, quae improprè dicitur motus localis, cum hic fit essentialiter successivus, & solet a Thomistis appellari motus discretus; In qua controversia sic explicata tres sunt opiniones, duae extremae, & una media; Prima extrema, quae est communis in Schola Thomistarum affirmat Angelum posse motu discreto seu instantaneo se transferre de uno loco extremo ad alium extremum non transiendo per medium, ita D. Thom. *part. 1. quest. 53. art. 2.* ubi

2. ubi Cajet. Serra, Bannes *duob. 2. Zamel quest. 3.* Nazzius contriv. 17. Valquez *disp. 19. cap. 2.* Zanata. *art. 2.* lo. de S. Thom. *disp. 20. art. 4.* & Salmaticenses ibidem, Lezana *tract. 6. disp. 6. quest. 4.* & alii Thomistae passim. Altera sententia extrema absolute negat posse Angelum naturaliter transire ab uno extremo in aliud sine transitu per medium nec motu continuo, nec discreto, nec tempore, nec instanti, ita Riccard. 1. *disp. 37. art. 2. quest. 2.* Bonav. ibidem *part. 2. art. 2. quest. 2.* ubi ait rationem non capere, quod motus fiat, & non per medium, Alensius 2. *part. quest. 33. memb. 2.* Rubion 2. *dist. 2. qu. 5. art. ult.* Gabriel *dist. 3. art. 3.* Molin. *part. 1. quest. 53. art. 2.* Valentia ibidem, Arrubal Granados *disp. 4. Sentes lib. 4. de Angelis cap. 19. licet cap. 18.* primum quoque taceat, ut probabilem, Aringa *disp. 7. sect. 1. sub. sect. 2.* & alii passim extra Scholam D. Thomae.

100 Tertia sententia media est Scoti 2. *disp. 2. q. 12.* ubi duplex distinguit medium aliud participans de extremis, & aliud non participans, quod ita explicatur; dupliciter enim designari possunt loca extrema, aut enim haec sunt inter se distincta, & distincta, ut inter illa interiacet aliquod spatium medium non compactum ex eisdem extremis, ut v.g. filocus, vel spatium fit tripalmate, primus, & tertius palmus dicitur loca extrema; secundus autem palmus dicitur medium, quod nihil est extremorum, quia non est ex illis compactum, neque cum eis communicat, aut loca extrema sunt inter se conjuncta, itaque inter ea non datur aliud medium, nisi compactum ex parte unius extremi, & parte alterius; ut v.g. si spatium fit bipalmare, tunc inter utrumque palmum designari potest palmus medius, non quidem ab utroque distinctus, & cum eis non communicans, sed ex sempiterno utriusque compactus, & cum utriusque communicans, quo pacto non solus ille palmus medius communicans designari poterit, sed plura, & plura in infinitum, sicut dici solet de partibus communicantibus quantitates; inter quae media scilicet communicans, & non communicans, ait Doctor hoc praecipuum reperiri dicentes; quod primum cum sit per divisionem secundum partes proportionales, non actu mediat, sed potentia; secundum vero actu mediat, quia designatur per partes aequales non communicantes, scilicet actu latera distare, & consequenter ordo inter loca extrema per media ista non est eisdem rationis, nam inter illa est ordo potentialis, inter illa vero actualis; hoc praenotato asserit haec sententia, quod si Angelus moveatur ad locum distantem per medium non participans, sed communicans, debere naturaliter loquendo transire per medium; at si moveatur per medium participans, non esse necesse, ut transiat per medium, sed illud occupare posse simul cum extremo; ut v.g. si sphaera Angeli sit bipalmari, potest Angelus existens in tota sphaera bipalmari statim se locare in tota sphaera bipalmari immediate sequente, & contigua praecedenti, abique eo, quod prius prioritate temporis, sed tantum naturae attingat partes sphaerae subsequentis proximiores sphaerae praecedenti, sed simul tempore attingat omnes, & singulas partes tam proximiores, quam remotiores sphaerae subsequentis; Haec est sententia Scoti *loc. cit.* quam sequuntur omnes usque discipuli Liehet. ibidem, Maizon. *quest. 13. Rada tom. 2. canonico. 7. art. 5.* Brancahis *de sup. 6. q. 4.* Esber. in 2. *disp. 22. Vulpes disp. 13. art. ult.* Poncius *disp. 14. q. 4.* & Recentiores quamplures sicut *tract. 3. cap. 1. quest. 6.* Averia *quest. 53. sect. 4.* Amicus *disp. 6. sect. 4.* ac etiam quamplures citati pro secunda sententia, qui dum Angelus negant transire ab extremo ad extremum sine medio, loquuntur de loco distant, & de medio interiecto non participante ex extremis.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio Quaestionis.

101 Pro resolutione quaestio notandum est, quod ut dixi ab initio quaestio, non est hic difficultas de motu continuo, & successivo, unde minus accurate Brancahis, & quidam alii Scotistae dixerunt, Scotum asserentem Angelum non posse transire ab extremo in extremum sine transitu per medium, loqui de motu vero successivo, & continuo, & de motu proprie sumpto, quatenus includit omnem realitatem veri continui motus; perperam, inquam, id dixerunt quoniam Doctor ab initio quaestio ait, quod loquendo de motu continuo, & successivo ab omnibus est concedendum non posse Angelum transire ab extremo

in extremum sine transitu per medium, sive participans, sive non participans; & ratio est, quoniam 6. Phys. dicitur medium, in quod prius veniat, quod continue mutatur, quam in extremum, & idem si continue moveatur, prius venit in medium, quam in extremum, nec devenit in extremum, nisi transiendo per medium; Tum quia ordo prioris, & posterioris in motu est secundum ordinem prioris, & posterioris in motu est secundum ordinem posterioris, unde mobile dicitur esse in priori parte motus; quia est in priori parte magnitudinis, & in posteriori parte motus, quia est in posteriori parte magnitudinis, & in media parte motus, quia est in media parte magnitudinis; si ergo motus est continuus, oportet quod mobile prius sit in medio, quam in extremo, nec veniat ad extremum, nisi transiendo per medium. Quare lit. B. concludit totam difficultatem esse de motu instantaneo, ac indivisibili, quem Angelo convenire posse probaverat q. 11. praecedenti; quatenus potest totum unum locum simul disinterre, & toti alteri loco simul se applicare; explicando autem ibi lit. C. quomodo dici possit Angelus moveri, vel mutari in instanti notat, quod duplex potest cogitari mutatio localis instantanea, una includens totam realitatem motus, alia vero praecise includens realitatem termini motus, quando enim dicitur Angelus mutari ab A. ubi utique ad B. ubi potest intelligi dupliciter, vel quod simul habeat omnia Vbi intermedia, sicut haberet si moveretur successive; vel quod illa mutatione praecise haberet ultimum ubi terminans, sicut haberet si illa mutatio esset ultimus motus; primo modo inquit non videtur qualem Angelus virtute naturali possit moveri, vel mutari in instanti, quia non videtur, quod virtute sua naturali possit habere plura ubi aequalia, & adaequata; secundo modo non videtur inconveniens, quoniam possit moveri in instanti, quia quod terminus motus non statim inducatur, hoc est ex imperfectione virtutis ipsius moventis, quae imperfectio non est attribuenda Angelo nisi aliqua necessitas apparet, quia dignificanda est natura, quantum apparentia permittunt; hoc autem praesupposito pro resolutione praesentis quaestio, Doctor statuit duas conclusiones.

102 Prima conclusio est, quod loquendo de motu, seu mutatione indivisibili modo jam explicato potest Angelus tali motu pertransire ab extremo in extremum immediatum non transiendo per medium, quod est aliquid utriusque extremi; Hanc breviter probat Doctor, quoniam si transiret per tale medium continue transiret, & non instantaneum, quod est contra praesuppositum; Tum quia potest Angelus existens in media parte loci sibi adaequati illa non relicta collocare se in instanti in altera parte loci, ita ut occupet totum locum sibi adaequatum, & hoc passim ab omnibus conceditur, qui Angelo motum in instantaneo non negant, ergo eandem ratione poterit existens in toto loco bipalmari v. g. sibi adaequato, in instanti illum deserere, & statim de se collo care alio loco bipalmari immediato. Ratio a priori est, quia Angelus non habet partes, secundum quas sit commensurative in loco, sicut corpus, sed totus in toto, & totus in qualibet parte loci; ergo necessarium non est, quod successive derelinquat priorem locum sibi adaequatum, & successive acquirat posteriorem immediate sequentem; sed sufficit unica instantanea mutatio, qua deserat simul & tenet priorem, & acquirat posteriorem; si ergo in eodem prioris instanti derelictum totum locum priorem sibi adaequatum, & acquirat tunc immediate sequentem; non potest prius tempore acquirere partes proximiores, quam remotiores loci subsequentis, sed omnes simul.

103 Quod adhuc amplius declaratur, quia dum Angelus deserit extremam partem loci prioris, non transit per medium participans ejusdem, ut perveniat ad extremum loci posterioris, sed simul deserit extremitates, & medium loci prioris; & simul occupat extremitates, & medium loci posterioris; corpus autem non potest ita moveri, quia transiit etiam per medium participans, quia non potest simul, & tenet deserere totum locum praecedentem, & acquirere subequentem, & contiguam; sed ita paulatim movetur, & successive, ut secundum diversas partes sui relinquat successive diversas partes loci divisibilibus praecedentis, & ita sit in medio participante, id est partium termino a quo partium in termino ad quem, quia scilicet partes corporis locali, quae sunt in extremitatibus loci praecedentis, non possunt accedere ad novum locum, nisi partes transiant per medium, & finem loci praecedentis, quod est medium participans, in quo partes illae non erant, antequam mobile moveretur; Ex quo colligitur, quod quia respectu mobilis